



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

Octava SS. Innocentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

OCTAVA SS. INNOCENTIUM.

IV JAN.

Celebratur Sanctorum Innocentium Martyrum Octava in Martyrologio Romano, Notheri, Bellini, Maurolyci, Molani, Germanico, Galesinii; Usuardi editione Lubecensi an. 1473 et Coloniensi an. 1521 et plerisque aliis excusis et mss. Martyrologiis. Franciscus Quignonius Cardinalis in Brevi-

rio suo Pauli III auctoritate anno MDXXXV, edito hanc Octavam expunxerat, substitueratque S. Martinæ Virginis et Martyris festum simplex. Restituit deinde Octavam; quam duplicem esse sanxit Pius V, additis Lectionibus. Vide Bartholomæum Gavantium Comment. in Rubr. Breviar. sect. 6, cap. 6.

DE S. TITO EPISCOPO

CRETENSIVM APOSTOLO.

CIRCA
AN. CHR. CV.

IV JAN.

Sanctum Titum omnia hoc die memorant Latino- rum Martyrologia, cum Romano, in quo Pridie Nonas Januarii de eo hæc habentur: In Creta Natalis S. Titi, qui ab Apostolo Paulo Cretensium Episcopus ordinatus, post prædicationis officium fidelissime consummatum, beatum finem adeptus, sepultus est in ecclesia, ubi a beato Apostolo dignus minister fuerat constitutus.

2 Ejus sæpe meminit Paulus, ad quem et epistolam scripsit Nicopoli in Epiro; in quam qui Commentarios scripsere Patres et Doctores, pluram Titi laudem congressere: unam profero Cornelium Cornelii a Lapide nostrum. Titus, inquit, utroque parente Gentilis et Græcus, adeoque, si credimus Chrysostomo hic homilia 1, Corinthio oriundus fuit. Unde et identidem Titum nominat Apostolus scribens secundo ad Corinthios, eoque apud eos quasi populares suos administro usus fuit, ad colligendas elemosynas, aliasque res Ecclesiasticas. Hic Titus a Paulo conversus ad Christum et baptizatus, eidem adhæsit, ac in prædicatione fuit insignis adjutor et interpres. Unde 2 Corinth. 2, vers. 13, Paulus Titum fratrem suum vocat. Fuit enim Titus insignis morum innocentia ac sanctimonia præditus, adeoque tota vita virginitatem coluit et servavit, ut docet S. Ignatius epistola ad Philadelph. Hinc a Paulo creatus est Archiepiscopus Cretæ, aliarumque vicinarum insularum: quin et in Dalmatiam a Paulo missus, ibidem prædicavit: ut patet 2 Timoth. 4, vers. 10. Ac tandem multis Ecclesiis erectis et fundatis, in Cretam reversus, sancte mortuus est, anno ætatis 94, ibidemque sepultus. Hæc Cornelius.

3 Titi meminit S. Ignatius ep. 3, ad Philadelphenses; Volaterranus lib. 19, Eusebius lib. 3, Historia Ecclesiast. cap. 4, auctor libelli de 72 discipulis, S. Isidorus Hispalensis lib. de vita et morte Sanctorum cap. 87, et alii. Agit et de eo Baronius ad annum Christi xlv, ita scribens: Interpretis apud Apostolum Paulum functum esse munere Titum S. Hieronymus tradit scribens ad Hebræos; imo ejus officio adeo Paulum opus habuisse, ut absentia Titi non modicum detrimentum ejusdem prædicationi attulerit, idem ipse ad Corinthios scribens his verbis testatur: Cum venissem Troadem propter Evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenirem Titum fratrem meum: sed vale faciens eis, profectus sum in Macedoniam. Hæc non alia causa accidisse putavit Hieronymus, nisi quod sicut Petrus Marco, ita et Paulus Tito uteretur interprete: in cujus adventu se magnopere gavismus esse testatur, cum ait: Sed qui consolatur humiles consolatus est nos Deus in adventu Titi. Quæ autem (inquit Hieronymus) fuit tanta consolatio, et quæ requies spiritui in presentia Titi; quem quia non invenit, vale faciens eis profectus est in Macedoniam? Aliquoties diximus, Apostolum Paulum virum fuisse doctissimum, et eruditum ad pedes Gamalielis; cumque haberet scientiam Sanctorum scripturarum, et sermonis diversarumque linguarum gratiam possi-

deret, unde ipse gloriatur in Domino, et dicit: Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum linguis loquor; divinorum sensuum majestatem digno non poterat Græci eloquii explicare sermone. Habebat ergo Titum interpretem, sicut et B. Petrus Marcum, cujus Evangelium, ipso narrante, et illo scribente, compositum est. Hæc Hieronymus, atque ex eo Baronius.

EJUS VITA EX MENÆIS.

Græci xxv Augusti S. Titi agunt solemnitatem, de qua Colitur a Græcis 25 Augusti. Item S. Titi Episcopi Gortynæ urbis Cretæ, discipuli S. Apostoli Pauli. Hic B. Titus annos 20, natus, venit ex Creta Hierosolymam, et usque ad Domini nostri Jesu Christi ascensionem expleto anno uno, decem alios annos illic permanens ordinatus est Apostolus. Prædicavit Evangelium annos decem et octo apud Cretam, et reliquas insulas annos sex, in patria vero.... Ex quibus xciv annorum colligitur numerus.

3 Fusius Menæa: S. Apostoli Titi Episcopi Gortynæ in Creta, discipuli S. Pauli Apostoli. B. Titus ex Myroï Cretensium Regis stirpe oriundus erat, quemadmodum testatur Zenas Jurisconsultus, qui vitam ipsius perscripsit. Meminit Titi etiam S. Paulus. Titus ergo primos ætatis annos litteris profanis, qui apud Græcos in magna sunt admiratione, consecravit.

6 Vicennis jam, accipit e cælo vocem, quæ, Tite, inquit, hinc tibi emigrandum est, ut animam serves; parum enim tibi hæc eruditio Græca et profana proderit ad salutem. Cupiebat Titus hanc vocem denuo audire: norat enim etiam ex idolorum statu subinde voces supersticiosas mitti. Itaque totum adhuc annum substitit. Tum jussus est per visum, Hebræorum volumen legere. Ergo cum Isaiam aperuisset, incidit in hanc sententiam: Innovamini ad me insulæ multæ. Israel salvatur a Domino salutem sempiternam; et quæ sequuntur. Ergo proconsul Cretæ et avunculus S. Titi, cum audisset de Christi Domini salutari nativitate et miraculis, quæ Hierosolymis et alibi patrabat; ex virorum primariorum consilio misit Titum Hierosolymam: hunc enim existimaverunt aptum fore, qui audiret et loqueretur cum Christo, et sibi renuntiaret, quæ audisset ipse. Titus ergo cum venisset Hierosolymam, et vidisset et adorasset Christum Dominum, mansit Hierosolymis, et miraculorum ejus spectator præsens factus, vidit etiam salutarem ejus passionem et sepulturam et resurrectionem, et divinam assumptionem, et Spiritus sancti in Apostolos adventum et descensum, creditique, et centum viginti, et tribus millibus accensus est, qui ex prædicatione S. Petri Principis Apostolorum crediderunt in Christum.

7 Deinde consecratur Apostolus, et mittitur cum Paulo ad docendum et consecrandum alios, quos visum est Paulo: venitque cum illo Antiochiam, transitque Selenciam, et Cyprum, et Salaminem, et Paphum, atque inde proficiscitur Pergen Pamphylia, et Antiochiam Pisiidæ, et Iconium ad Onesiphori domum

S. Titus Pauli
interpres.

Semper virgo.

Ubi prædica-
vit.Tom. 3.
ep. 150. qu. 11.
Paulo neces-
sarius 2.
2. Cor. 2. 12.

2. Cor. 7. 6.

1. Cor. 14. 18.

Colitur a Græ-
cis 25 Augu-
sti.Ejus regium
genus.
Vita a Zena
1C. scripta.Sacras litle-
ras legit.Isai. 41. 1.
juxta LXX in
vulgata: ta-
ceant ad me
insulæ.Mittitur in
Judæam.Convertitur
ad fidem.Peregrinatur
cum Paulo.